



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **INTRA VINDOBONENSIS SANCTUARIUM BEATAE MARIAE VIRGINIS TITULO**

«WALLFAHRTSKIRKE MARIÄ GEBURT» INVOCATAE, QUOD IN LOCO
MARIA ROGGENDORF INTRA FINES VINDOBONIENSIS ECCLESIAE EXSTAT,
AD BASILICAE MINORIS DIGNITATEM EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Intra Vindobonensis Ecclesiae fines,
in loco Maria Roggendorf, Sanctuarium clarum exstat Beatae Mariae Virgini titulo «Wallfahrtskirche Mariä Geburt»
invocatae dicatum, ad quod fideles loci necnon plurimi pii peregrinatores, praesertim die XIII cuiusque mensis, accedunt
frequentes, decoram imaginem Deiparae Virginis cum Iesu Infante veneraturi perque tam providam benignamque
Matrem supernum petituri auxilium. Qua re, cum Venerabilis Frater Noster Ioannes Hermannus S. R. E. Cardinalis Groer,
Archiepiscopus Metropolita Vindobonensis, litteris die XIII mensis Iunii hoc anno datis, etiam rectoris templi, cleri
populique sui nomine petiverit ut eandem ecclesiam titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, paternae
dilectionis Nostrae signum, hoc Mariali vertente Anno, aventes potentibus praebere, istius sollertia Pastoris precibus
censemus libenter obsecundare. De sententia igitur Congregationis pro Cultu Divino Nobis nuper proposita, quam
habemus ratam, Apostolica Nostra usi potentate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum, Sanctuarium, de
quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum omnibus iuribus et liturgicis
concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competit, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «de
titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII editum, sunt servanda. Has denique Litteras Nostras sive
nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum
Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Augusti, in Transfiguratione Domini, Mariali Anno MCMLXXXVIII,
Pontificatus Nostri decimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1988 - Libreria
Editrice Vaticana